

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Ivrid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institvitionvm Ivrис Ivstiniianeарvm
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XVI. De Pupillari Substitutione.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

bitrabatur, efficit ea Substitutio, ut substitutus cum instituto in Partem dimidiā Hæreditatis

§. 4. I. h. admittatur. §. IV. J. b. j. l. 164. §. 1. ff. d. V. S.

IV. Substitutio vulgaris *bodie* in Germania maxime in *Saxonia* non recessit ab Uso. a. P. 3. C. El. 8.

TIT. XVI.

De Pupillari Substitutione.

Forma, effectus, origo & ratio pupillaris substitutionis.

LIBERIS suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solum ita, ut supra diximus, substituere potest, id est, ut, si heredes ei non extiterint, alius sit ei heres: sed eo amplius, ut, si heredes ei extiterint, & adhuc impuberis mortui fuerint, sit eis aliquis heres: veluti, si quis dicat hoc modo: *Titius filius meus heres mihi esto.* Et si filius meus heres mihi non erit, sive heres erit, & prius moriatur, quam in suam tutelam venerit, id est, antequam pubes factus sit, tunc *Sejus heres esto.* Quo casu, siquidem non extiterit heres filius, tunc substitutus patri sit heres: si vero extiterit heres filius, & ante pubertatem decesserit, ipsi filio sit heres substitutus. Nam moribus institutum est, ut, cum ejus ætatis filii sint, in qua ipsis sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant.

De substitutione mente capti.

* v. L. 9. C.
de imp. &
aliis sub-
stitutis.

i. Qua ratione excitati, etiam * Constitutionem posuimus in nostro Codice, qua prospectum est, ut si qui mente captos habeant filios, nepotes, vel proprie nepotes, cujuscumque sexus vel gradus, liceat eis, et si puberes sint, ad exemplum pupillaris substitutionis, certas personas substituere. Sin autem resipuerint, eandem substitutionem infirmari facimus:

mus: & hoc ad exemplum pupillaris substitutionis,
quæ, postquam pupillus adoleverit, infirmatur.

Proprium pupillaris substitutionis.

2. Igitur in pupillari substitutione secundum præfatum modum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta: alterum patris, alterum filii, tanquam si ipse filius sibi heredem instituisset: aut certe unum testamentum est duarum causarum, id est, duarum hereditatum.

Alia forma substituendi pupillariter.

3. Sin autem quis ita formidolosus sit, ut timeat, ne filius suus pupillus adhuc, ex eo, quod palam substitutum acceperit, post obitum ejus periculo insidiarum subjiceretur, vulgarem quidem substitutionem palam facere & in primis testamenti partibus ordinare debet: illam autem substitutionem, per quam, si heres extiterit pupillus, & intra pubertatem decesserit, substitutus vocatur: separatim in inferioribus partibus scribere debet, eamque partem proprio lino, propriaque cera consignare, & in priore parte testamenti cavere, ne inferiores tabulae, vivo filio & adhuc impubere, aperiantur. Illud palam est, non ideo minus valere substitutionem impuberis filii, quod in eisdem tabulis scripta sit, quibus sibi quisque heredem instituisset, quamvis pupillo hoc periculosem sit.

Quibus substituatur.

4. Non solum autem heredibus institutis imputberibus liberis ita substituere parentes possunt, ut si heredes eis extiterint, & ante pubertatem mortui fuerint, sit eis heres is, quem ipsi voluerint: sed etiam *exheredatis*. Itaque eo casu, si quid exheredato pupillo ex hereditatibus, legatisve aut donationibus propinquorum atque amicorum, acquisitum fuerit, id omne ad substitutum pertinebit.

Ex Modest.
l. 1 § 2. ff.
d. vulg. Et
pup. subß.

Quæcunque diximus de substitutione impuberum liberorum, vel heredum institutorum, vel exhereditorum, eadem etiam de posthumis intelligimus.

Pupillare testamentum sequela paterni.

Ex Ulp. l. 5. Liberis autem suis testamentum nemo facere potest, nisi & sibi faciat: nam pupillare testamentum pars & sequela est paterni testamenti: adeo ut, si patris testamentum non valeat, nec filii quidem valebit.
2. §. 1. ff. de vulg. pupill. Subst.

Quot liberis substituatur.

Ex Florent. l. 37. ff. de V. & P. S. 6. Vel singulis autem liberis, vel ei, qui eorum novissimus impubes morietur, substitui potest. Singulis quidem, si neminem eorum intestatum decidere voluerit: novissimo, si jus legitimarum hereditatum integrum inter eos custodiri velit.

De substitutione nominatim aut generaliter facta.

Ex Caj. l. 5. ff. de V. & P. S. 7. Substituitur autem impuberi aut nominatim; veluti: *Titius heres esto*: aut generaliter; ut: *Quis quis mibi heres erit*. Quibus verbis vocantur ex substitutione, impubere mortuo filio, illi, qui & scripti sunt heredes, & extiterunt, & pro qua parte heredes facti sunt.

Quomodo substitutio pupillaris finiatur.

8. Masculo igitur usque *ad quatuordecim annos* substitui potest: fœminæ usque ad duodecim annos. Et si hoc tempus excesserint, substitutio evanescit.

Quibusdam pupillariter non substituitur.

9. Extraneo vero, vel filio puberi heredi instituto, ita substituere nemo potest, ut si heres extiterit & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit heres: sed hoc solum permisum est, ut eum per fideicommissum testator obliget, alii hereditatem ejus vel totam, vel pro parte, restituere. Quod jus quale sit, suo loco trademus.

I. Sub-

I.

*S*ubstitutione pupillaris est vel vera, vel quasi s. exemplaris. *Vera* constituitur a *Patribus l. 20l. ff. d. V. S.* Liberis impuberibus primi & ulterioris Gradus, §. 1. §. 4. J. b. & in alterius Potestatem non recasuris, l. 2. ff. d. vulg. & pup. subst. in Casum, si Heredes erunt & intra annos Pubertatis decedent; PR. J. b. 8. J. eod. Eaque Pr. I. h. est vel expressa, vel tacita. Expressa Verbis exprimitur, atque illa conjungi potest cum vulgari; PR. J. b. Tacita est, quæ sub expressa e.g. vulgari, applicata Filiofam. impuberi, contineri creditur. L. 4. §. 2. ff. d. tit.

II. *Substitutione quasi pupillaris s. exemplaris* est, quæ fit a *Parentibus Liberis Mente captis*, aliove Vitio, propter quod testari nequeunt, laborantibus in eum Casum, si Heredes erunt, & in eo Statu, in quo testari nequeunt, decedent. §. 1. J. b. Leg. 9. C. d. impub. & al. subst. Hæc ob- §. 1. I. h. tinet etiam *bodie*. *Suscipitur ea certo Ordine*: scilicet ita, ut post Institutionem Mente captorum d. l. 9. substituantur 1) Liberi Mente captorum, a. N. 18. c. 3. l. 43. ff. d. vulg. & pup. subst. 2) Fratres & Sorores Mente capti. d. l. 9. Fratribus & Sororibus quoque deficientibus quosvis substituere permisum. a. d. l. 9.

III. *Substitutione pupillaris continet unum Testamentum*, §. II. J. b. non ratione Objecti s. §. 2. I. h. Hæreditatis & Hæredis instituti, quia est duarum Hæreditatum Patris & Filii, §. II. J. b. sed respectu Formæ solennis, l. 20. pr. ff. cod. & Testatoris,

P 5

Patris

Patris scilicet. *Itaque* 1) Matri Pupillorum non datur adversus illud Querela in officio Testamenti: *I. 8. §. 5. ff. de Vulg. & pupill. Substit. c. i. de Testam. 6.* At *Jure Saxon.* *El.* hæc Substitutione nec Matris, nec Aviæ, nec Avi Legitimæ quicquam præjudicat; *P. 3. C. El. 8. Dec. El. 47.* 2) Si Patris Testamentum non valet, nec Filii subsistit, tanquam paterni Testamenti Accessio.

§. 5. I. h. S. V. J. b.

IV. *In iisdem Tabulis fieri potest* hæc *Institutio & Substitutione;* quod si vero Pater metuat, ne ex palam facta Substitutione post Obitum ejus Pericolo Insidiarum subjaceat Pupillus, Substitutionem hanc inferiore Tabularum Parte scribere & peculiariter obsignare potest, ac in priori Testamenti Parte cavere, ne inferiores Tabulae Filio adhuc impubere aperiantur. *§. III. J. b. j. l. 8. ff. testam. quemadm. aper.*

§. 3. I. h. S. V. J. b. j. l. 8. ff. testam. quemadm. aper.

V. *Substitutione pupillaris fit a Patre Liberis in Potestate ejus constitutis,* etiam exhæredatis, Bona forte adventitia habentibus, nec non Posthumis, *§. IV. J. b. l. 46. d. vulg. & pupill. subst.* etiam *bodie;* *a. l. 27. C. d. test. & ratione Determinationis,* 1) *Filiorum fam. quibus substituitur, aut singulis Liberis, aut illi, qui eorum novissimus s. ultimus impubes morietur,* fit, atque postremo Casu sibi invicem ex Lege ab intestato suc-

§. 4. I. h. humis, §. IV. J. b. l. 46. d. vulg. & pupill. subst. etiam *bodie;* *a. l. 27. C. d. test. & ratione Determinationis,* 1) *Filiorum fam. quibus substituitur, aut singulis Liberis, aut illi, qui eorum novissimus s. ultimus impubes morietur,* fit, atque postremo Casu sibi invicem ex Lege ab intestato suc-

§. 6. I. h. cedunt: *§. VI. J. b.* Matrem tamen germani, ex *N. n. 8. c. 2.* cohæredem habent. *Jure Sax.* Mater a Successione Fratrem germanum excludit. *¶. l. 1. a. 17.* 2) *Substitutorum vel nominatim s.*

specia-

*specialiter, vel generaliter suscipitur. §. VII. §. 7. I. h.
J. b. j. §. 2. J. d. vulg. subst.*

VI. Substitutione pupillaris evanescit Pubertate ejus, cui facta est Substitutione, in Masculo Anno 14. in Fœmina, 12. §. VIII. J. b. l. 7. ff. d. vulg. §. 8. I. h. *& pup. subst. j. l. 4. C. qui testam. fac. poss. cum sibi Hæredem scribere Minores queant; nisi Testamento addita fuerit Clausula Codicillaris; tum enim in Vim Fideicommissi sustinetur, & substituto Hæreditas post Pubertatem, detracta Trebellianica, restituitur. a. §. f. J. d. pupill subst. l. 17. l. 76. ff. ad SCt. Trebell. j. l. 29. §. l. ff. quite stam. facere poss.*

VII. Substitutione militaris s. compendiosa est, qua Miles ex Privilegio militari, etiamsi Testamentum sibi non faciat, l. 2. §. 1. ff. d. vulg. *& pup. subst. cuivis Hæredi futuro substituit in Casum, quo ille Hæres defecerit. l. 6. C. d. testam. mil. l. 8. C. d. impub. & al. subst.*

VIII. Substitutione fideicommissaria s. obliqua est, qua substituto Hæreditas vel ejus Pars tribuitur mediante Facto ejus, qui eam restituere rogatus est. §. IX. J. b. l. 76. ff. ad SCt. Treb. §. 9. I. h.

TIT. XVII.

Quibus Modis Testamenta Infir- mantur.

TESTAMENTUM jure factum, usque valet, do-
nec rumpatur, irritumve fiat.

*Quando testamentum dicatur rumpi. Primum
de adoptione.*

I. Rumpitur autem testamentum, cum in eodem
statu